

asp

11

no

1714


HEPTADEN
 OBSERVATIONVM
 HISTORICO - ECCLESIASTICARVM
 IOBILAFIS PLAVSIBVS
 ADIICERE
 AC SIMVL
 EXCELLENTISSIMIS AC GENEROSISSIMIS
 VIRIS
 PROTO - SYNEDRII REGIO - ELECTORALIS
 QVOD DRESDAE EST
 ILLVSTRISSIMO PRAESIDI
 DOMINO COMITI
 DE **HOLZENDORFF,**
 NEC NON
 PER - ILLVSTRI VICE - PRAESIDI
 DOMINO DE **GLOBIG,**
 PATRONIS OPTIMIS
 CVLTVM DEVOTISSIMVM TESTARI
 VOLVIT
 M. ADOLPHVS BOGISLAVS GRVLICH.

TORGAVIAE, LITTERIS PETERSELLIANIS.



HETTADEN
OBSERVATIONVM
HISTORICO-ECCLESIASTICARVM
JOHANNIS PAVSINI
ADICERE
AC SIMVL
EXCELLENTISSIMIS AC GENEROSISSIMIS
VIRIS
FROTO-SYNEBRI REGIO-ELECTORALIS
QVOD DRESDAE EST
ILLVSTRISSIMO PRAESIDI
DOMINO COMITI
DE HOLZENDORFF
NEC NON
PER-ILLVSTRI VICE-PRAESIDI
DOMINO DE GLOBIG
PATRONVS OPTIMVS
CULTVM DEVOTISSIMVM TESTARI
VOLVIT
M. ADOLPHVS BOGISELVS GRALICH

LEIPZIGAE LITTE. PETRESIIANAE



ILLVSTRIS SIME DOMINE COMES
AC PRAESES,
PER-ILLVSTRIS DOMINE VICE-
PRAESES,
DOMINI GRATIOSISSIMI,
PATRONI OMNI PIETATIS CVLTV
PROSEQVENDI!

Rediere per Dei gratiam, fausti illi Dies, quos
centum ab hinc annis, majores nostri pia ova-
tione, in pacis religiosae memoriam, concele-
brandos existimant, neque defunt nostro aeo,
pia, quibus religionis negotium, cura cordique est,
animae, quae, diem xxv. Septembris, debita Deo vota
oblatura, avide expectant. Norimbergae, quidem
jam Anno MDXXXII. die xxiii. Junii, Pax nobis, ab
Imperatore Carolo V. concessa erat, confirmata Fran-
cosurti

cofurti ad Mœnum Anno MDXXXIX. majus tamen pondus, huic pacificæ Sanctioni, conciliavit Mauri-
 tius Elector Saxoniae, in Passaviensi, per VII. hebdo-
 madas protracta transactione Anno MDLII. die II. Au-
 gusti. Maximum autem valorem, securitati nostræ
 ecclesiæ Pax Augustana, Anno MDLV. die XXV. Se-
 ptembris, attulit. Et hic est ille, candidiore lapillo
 notandus dies quem omnes devota pietate, extollere
 fatagunt. Quotquot religioni Evangelico - Luthera-
 næ bene cupiunt, non possunt non, quin universum
 Reformationis per ministerium B. Lutheri peractum
 opus, hac occasione data, pie recolant, viasque dei in
 arduo hoc negotio, patefactas, venerentur & concele-
 brent. Sunt, qui integram Lutheranismi historiam,
 inde a prima origine reperunt, dantur qui documenta
 antiqua, huic historiarum parti, lucem affusura, in lu-
 cem protrahunt, nec desiderantur, qui quovis modo
 Symbolas suas, jubilæi hujus bis secularis solennitati-
 bus, adjicere festinant, quibus & egomet, annumerari
 volui, quem in finem, *observationes* nonnullas *Histo-*
rico - Ecclesiasticas paulo selectiores collegi, non quod
 tales re vera sint, sed quod tales mihi visæ fuere, & ne
 plane *ασυμβολος*, & oblita mente, beneficia per pacem
 religiosam ecclesiæ parta, contemplari videar. Sit
 itaque

Observatio I. B. Luthero, primas in reformatio-
 nis opere deberi, Nostrates, quicquid etiam Calvino-
 Reformati vociferentur, & contradicant, unanimi con-
 sensu docent. Sed vereor, ne palman Augustissimus
 Im-

Imperator, Maximilianus I. Lutheri vel dubiam faciat, vel plane praecripat. Ipse enim Lutherus curam Imperatoris, circa religionem non modo summis laudibus evehere, non veretur. Tom. V. Altenb. p. 1217. & VI. p. 211. alibique; sed novimus etiam, gloriosissimum Imperatorem, diu ante ausus Lutheri, singulare contra indulgentiarum nundinationes Anno MDXV. die VII. Martii, edictum promulgasse, quo veritum est, ne Dominicanorum ordo, sub quocunque praetextu his nundinationibus uteretur, quas permissu Pontificis Romani, ad monasterium Augustanum exstruendum, colligere decreverat. Dolent saltem, viri harum rerum curiosi, quod hoc Augustum edictum huedam nullibi reperiri licuerit. Ast, cum aliud Maximiliani I. diploma, quo prius edictum revocatur, proster, teste *Cypriano in Praefat. ad Miconii Hist. Reform.* p. 12. non est, quod hanc ob causam Pontificii gloriantur, ac si Maximilianus I. innocentiam indulgentiarum, tandem perspexisset, cum Joh. Angelo Arcimboldo, Leonis X. emissario, in provinciis Septentrionalibus, pecunias corradendi veniam daret, cum satis compertum sit, pium imperatorem, non tantum saepe doluisse, in emendanda ecclesia, nullos progressus fieri, ac pium ejus studium a Curia Romana eludi; sed etiam Anno MDX. curasse ut X. gravamina, ad res ecclesiasticas potissimum spectantia colligerentur; quo satis comprobavit, omnem imperatoris curam in id incubuisse, quo damna ecclesiae ab imo sanarentur, ac natus religionis nitor restitueretur. Sin autem optima ejus consilia, pessime ceciderunt, non voluntati & perspicacia imperatoris, sed potius,

tius, naturali ejus inconstantia adscribendum est. Quia in re assentiri cogimur judicio B. de Verulamio in historia Henrici VII. p. 140. scribentis: Maximiliani moribus penitus insitum erat, ut negotia, semper semipfecta relinqueret, & reliqua, imaginationi tantum forti, consummaret, tanquam sagittarius malus, qui Sagittas, ad cuspidem usque attrahere non solet.

Observat. II. In ipsis vigiliis festi omnium Sanctorum B. Lutherus, Theses suas 95. de indulgentiarum indole, examini publico & eruditorum disquisitioni subjecit, ratus, cum isto tempore, maximus litteratorum numerus, Vitembergæ conflueret, haud defuturos, qui in arenam, secum descenderent, & de veritatum gravitate vel levitate disceptarent, ast falso! nulli enim legimus, quemquam hanc aleam tentare voluisse, Lutherus potius ipse, in litteris ad Hieronymum, Episcopum Brandenburgensem MDXVIII. datis, fatetur: *in hanc arenam vocavi omnes, venit vero nullus.* Mirum sane posteris semper videbitur, qui factum, ut disputationi vere gravi, & tunc temporis, novitate sua maxime commendanda, nemo tamen publice, obviam eundi animum induxerit. Sunt, qui putant, cuilibet statim suboluisse, quod in Lutheri thesibus sententiæ laterent, nequaquam a Pontifice Romano probandæ, quasque propterea, angve caneqque peiores quisque, ne hæreseos particeps fieret, fugiendas putasset. Felici sane pro religione eventu, inde enim factum est, ut hæc veritates, non ut disputabiles, sed ut assertæ & verissima haberentur.

Observ.

Observ. III. Quanta Johannis Tezelii in prædicandis & conferendis indulgentiis fuerit protervia & immoderata audacia, vel inde judicari potest quod Episcopus Misnensis, Johannes de Saalhausen, aditu ipsum in terras, suæ ditioni subjectas exclusit, ac publice profiteri non dubitaverit, fore, ut hic Tezelius, ultimus indulgentiarum quæstor in Germania sit. Quod augurium, ut plura alia tunc temporis edita, haud fuisse vanum, experientia ipsa, testis omni exceptione major est.

Observ. IV. Inter omnes præfules, Reformationis tempore, Episcopali dignitate eminentes, Episcopus Vratislaviensis, Johannes a Turzo, ab antiquissima profapia Comitum a Turze in Hungaria oriundus, omnium primus fuit, qui Lutheri in religione emendationes favore complexus est. Negat id quidem Michael Josephus Fibiger, Vratislaviensis, Scriptor Pontificius, in Lutheranismus Silesiaco, anno 1721. 4. germanice edito, sed epistolicum commercium, inter ipsam & Lutherum, quod Anno MDXX. intercessit, de rei veritate, nos dubitare non sinit, quodque exhibent *Relat. Innoc. An. 1734. p. 713.* & *Seckendorffius Hist. Luther. Lib. II. §. 151.*

Observ. V. Ecclesiam nostram sano sensu vocari Lutheranam, nemo negabit. Nomen enim *Lutherani*, quicumque aliter interpretantur, quam proprietatis causæ instrumentalis postulat, illi suam produnt vel ignorantiam vel malitiam. Vocatur enim Lutherana doctrina non Lutheri, ut primi autoris, qui est ipse Spiritus Sanctus: nec ut primi concionatoris vel scriptoris, quales
fuere

fuere Prophetæ & Apostoli: sed tantum ut ministri divinam vocationem habentis, qui pretiosum separavit a vili; ut egregia hæc Menzeri verba adducit Dannhaeuerus in Hodomoria Calviniana p. 20. Primum autem, qui nostratibus Lutheranorum nomen imposuit, Johannes Eccius fuit, in Responsione pro Hieronymo Emsero, contra malefanam Lutheri venationem, ad Joh. a Schleyiniz, Eccl. Misenenf. Episcopum, Anno MDXIX. Quem deinde secutus, ipse Pontifex Hadrianus VI. in Epistola ad Principes & Status Sacri imperii Romani, Norimbergæ in Conventu congregatos An. MDXX. a quo tempore, denominatio hæc magis magisque, nota cepit fieri, catuique religionem emendatam proficenti adhæsit.

Observ. VI. Omne Reformationis tempus, in tria commode intervalla, dividi potest. In intervallum nudæ admirationis, in tempus rigidioris examinis, & in periodum liberæ ac plenariæ admissionis. Prius intervallum ab anno MDXVII. usque ad annum MDXXI. solis litteratis erat proprium, hi enim de ausu hoc Lutheri plane heroico scribebant, colloquebantur, meditabantur, & in utramque partem de eo disputabant. In intervallo autem secundo, ab anno MDXXI. usque ad annum MDXXVI. cujuslibet status & ordinis Viri & maxime seculares, uti dicebantur, doctrinam Lutheri sub examen revocare incipiebant, & consensu ipsius, cum Scriptura S. perspecto, sensim sensimque, ab avita superstitione, non modo abhorrere, sed etiam Lutheri sententiis favere consultius putabant. In intervallo demum tertio, dum Lutherus MDXXII. Missam Pontificiam

ciam publicè taxaverat, brevemque cultus publici ordinationem delineaverat, Tom. VII. Viremberg. germ. p. 370. factum est, ut tandem Elector Johannes Constans Anno MDXXVII. Visitationem publice instituendam iuberet. Mandando simul, ut ubique in terris Saxonice, cultus publicus, ad præscriptam, e verbo divino formulam & Sacra publica perageretur. Cujus exemplum, cum & alii magistratus imitarentur, facta est, quæ Romam in stuporem dedit, Reformationis Lutheri plena admissio.

Observ. VII. Georgio Barbato, Lutherus hostem nec acriorem, nec magis infestum habuit neminem, factum tamen est, per absconditam Dei providentiam, ut Georgii Barbati, dura inclementia & acerbissimum in Lutherum & Lutheranos odium, reformationis operi, non obsuerit, sed potius profuerit. Accidit enim, cum Georgius Barbatus, atrox sane mandatum, contra Lutherum ederet, & vetaret, ne quis scripta Lutheri vel emeret vel legeret, ut hoc ipso mandato, doctrina Lutheri, plurimis innotesceret, & latius spargeretur. Dum enim Episcopus Martisburgensis, Adolphus e Domino Anhaltina, hoc mandatum, in academia Lipsiensi, executioni dare vellet, frequentissimus civium academicorum numerus Lipsia relicta, Vitembergam se contulit, qua tandem regressi, doctrinam Lutheri in patriam suam relatam ubique disseminarunt.

Pauca hæc, *Viri Excellentissimi*, recolendo antiquiorum temporum monumenta, e vastissimo rerum præscarum campo, ceu flores paulo amœniores, decer-

B

pere

pere volupe fuit. Et gratulor sane mihi, quod percur-
rendo veterem historiam, *Vestrorum illustrium nomi-
num ac majorum*, non origines quidem primas detexe-
rim; antiquam tamen eorum gloriam, obviam habue-
rim. TVAM, magne *Holzendorffi*, gentem illustrissimam,
jam Sec. X. reperire licuit, in Marchicis terris late flo-
rentem, Sec. XIV. a Saxonia nostra receptam. Testan-
tur enim, antiquiorum temporum annales, isto Seculo
Albertum & Marquardum, fratres de Holzendorff, Ele-
ctorem Saxonem, Rudolphum III. Constantiam, ad
concilium ibidem celebrandum, proficiscentem, comita-
tos fuisse. Et cui ignotum est, ad quem dignitatum il-
lustrium splendorem, ab isto ævo Holzendorffia gens
ascenderit. Nec parum haberi debet, quod TV IPSE-
MET *Præses Excellentissime*, jam inde ab An. MDCXXXVIII.
clavo Ecclesiæ Saxonicæ affideas, & ita quidem affideas,
ut memoria Perillustris Hauboldi de Miltiz, qui ante
C. annos Proto-Synedrio præfuit, in te renovata ac re-
nata videatur.

TVA autem *Generosissime* GLOBIGI! profapia,
jam Sec. XIII. late diffusa, obviam mihi facta est, hinc
in Conrado de Globig, hinc in Ruperto de Globig,
hæreditariis in feudis Wüstermarck & Groswig prope
Schmiedebergam, nec sine omine mihi, in eo factum
esse, videtur, quod fratrum de Globig illustre par, Con-
radus nempe, & Tammò, jam Anno MCCCXXI. in re-
tum sacrarum functionibus, nomina sua, ab oblivione
vindicarunt, cum enim dicto anno Elector Saxonæ,
Rudolphus II. Ecclesiæ collegiatae, omnium sanctorum
Vireni.

Vittembergensis, nonnullos pagos, publico diplomate, legaret, modo dicti fratres, non saltem ceu testes, Electoralibus litteris subscripsere, sed etiam natalitio suo sigillo munivere. *TV* autem, *Vir Per-illustris*, in illud honoris fastigium jam euectus es, ut in posterum Sigillo non tuo, sed Regio-Electoralis, res ecclesiasticas academicas, & scholasticas ob signaturo, *TIBI* uti licebit. Vestigis igitur *Illustrissimi Holzdorffii*, strenue insistere pergas, ita enim fore, non speramus saltem, sed plane confidimus, ut *TE* auspice ecclesiae saluti scientiarumque augmentis prospiciatur.

Veniam, *Mæcenates Maximi*, me initurum facile mihi peruvadeo, quod hanc qualemcunque opellam, vestris potissimum Nominibus, consecrare, temere ausus fuerim. Quicquid enim huic specimini tenuitatis adest, id nostrarum dierum plausus festivos, *vestramque* gratiam refarcituram iudicavi. Nam cur vestris tholis, qualemcunque *αειθνης* devotæ mentis affigere non tentarem? Cum singularis Dei cura, *Vos Heroes togatos*, in ecclesiae suæ protectionem, bonarum artium præsidium, pietatis & religionis asyllum, nobis indulst.

Arbores honorandæ, quarum nos umbra tuemur, sub vestra umbra, etiam nostris in diebus Saxonia Evangelico-Lutherana, hucdum tuta res suas, ita egit, ut pia vota sursum mittat, quo uberrima gratiæ divinæ mensura, a Numine Propitio, in *Augustissimum Patrem Patriæ*, *Vosque* gubernacula Sanctioris collegii tenentes, veniat deorsum. Patiamini ergo, hac occasione,
has

has otii literarii primitias, apud *Vos* venerationis
 meae, esse interpretes, destitutas quidem undiquaque
 ornamentis, affectu tamen cedentes nemini. Non sum
 mihi ita suffenus, ut putem, has philyras, Scholam &
 juveniles conatus redolentes, Tantorum Virorum per-
 sonis esse dignas; Pietatem tamen agnoscetis, quae
 quod habet, offert, meliora ac limatiora, in posterum
 & debere & offerre optat. Hoc vero unicum, hoc
 palmarium, mihi supererit, dum aetherea aura fruar,
 in dies, religiosis caelum pulsare precibus, ut superesse


Vos, diuve sospites ac incolomes esse, Ecclesiae,

vestrisque illustribus familiis *ο παντων*

σωτηρ, esse jubeat.







Farbkarte #13

B.I.G.

19

HEPTADEN
OBSERVATIONVM
HISTORICO-ECCLESIASTICARVM
IOBILAEIS PLAVSIBVS
ADIICERE
AC SIMVL
EXCELLENTISSIMIS AC GENEROSISSIMIS
VIRIS
PROTO-SYNEDRII REGIO-ELECTORALIS
QVOD DRESDAE EST
ILLVSTRISSIMO PRAESIDI
DOMINO COMITI
DE **HOLZENDORFF,**
NEC NON
PER-ILLVSTRI VICE-PRAESIDI
DOMINO DE **GLOBIG,**
PATRONIS OPTIMIS
CVLTVM DEVOTISSIMVM TESTARI
VOLVIT
M. ADOLPHVS BOGISLAVS GRVLICH.

TORGAVIAE, LITTERIS PETERSELLIANIS.

